



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

3 An pro omonibus defunctis poßit offerri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

8. Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi? Quod de membris viuis per charitatem explicat D. Th. supra, q. 79. ar. 7. ad 2. & subdit: Et ideo in canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam. Ad Aug. responderet D. Th. in 4. d. 12. q. 2. ar. 2. quæstionum. 1. ad 4. tunc offerri pro membris Christi, quando offertur, ut fiat membra in actu, quæ tantum erant in potentia. Itaque offertur hoc sacrificium pro membris Christi, vel quæ iam sunt; vel, ut fiant, unde non prodest nisi membris Christi, vel perficiendo ea, quæ iam sunt, vel impetrando, ut regenerentur: nam, licet offerri etiam possit ad impetranda eis temporalia bona, semper tamen fieri debet cum ordine ad spiritualia, & præferim ad eorum conversionem. Adde vero, si mentem Augustini spectemus, illum ibi loqui de oblatione pro defunctis, ut patet ex initio capituli. De illis autem paruulis, quæ morte præueniuntur, prius quam baptizentur, &c. & infert sententiam heretici, dicens. Pro eis oblationes assiduas, & offerenda iugiter sanctorum cæleo sacrificia Sacerdotum, in quo valde errabat, existimatis hos posse saluari eisque celorum regnum posse impetrari; & ideo contra hunc errorem subdit Aug. Qui offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi? nam cum alij, qui non sunt membra Christi, per mortem omnino fiant extra statum salutis, nullo modo potest pro eis sacrificium offerri: quædiu vero hic viuunt, capaces sunt salutis, eisque potest obsecratio impetrari, & ideo pro eis offerri potest, & ita reuoluitur in D. Thomæ expositionem. Vterius et addo dictum Augustini esse verum de oblatione, quoad effectum ex opere operato: de quo etiam vera est expositio D. Th. de membris viuis, ut infra videbimus: nunc autem generaliter & absolute de oblatione loquimur, quacumque ratione fieri possit. Quod autem D. Thom. addidit, in canone non orari pro huiusmodi infidelibus, verum quidem est; id tamen non vetat, quo minus, Sacerdos pro eis orare possit, & in oblatione calicis Ecclesia orat: pro nostra & totius mundi salute.

Dico quarto & vltimo, pro excommunicatis maiori excommunicatione siue fideles sint, siue apostata, non licet, hoc sacrificium offerre publica oblatione, seu agendo publicam personam ministri Ecclesiæ. Ratio est, quia id est prohibitum in cap. Nobis 2. & c. Sacris, de sententia excom. est enim hic vnus de effectibus maioris excommunicationis, de quo ex professo agendum est in tomo sequente: pertinet enim ad materiam de censuris, interim legi possunt D. Th. in 4. d. 18. q. 2. art. 1. Soto d. 22. q. 1. art. 1. in cap. Almarater. p. 1. §. 6. non omitam autem aduertere, siue ylo serupulo (quidquid Soto significet) posse Sacerdotes in Memento, orare pro excommunicatis, priuata oratione & intentione, quia de hoc nulla est facta ab Ecclesia prohibitio, imo aliqui dubitant, an fieri possit, de quo alias.

SECTIO III.

Vtrum hoc sacrificium possit pro omnibus defunctis offerri.

Distinguamus tres defunctorum ordines; quidam enim sunt valde mali, ut damnati, sub quibus infantes comprehendimus sine Baptismi decedentes. Alij valde boni, ut beati, sub quibus comprehendere possumus animas iustorum, quæ fuerunt in sinu Abrahamæ; quia, licet ille status iam cessauerit, & ideo de illis nulla nobis est quæstio, posset tamen moueri in ordine ad sacrificia, vel suffragia, quæ fuerunt in vltu veteris legis; computantur igitur in hoc ordine, quia nullum malum, nec reatum personalem habebant, sed expectabant totius nature remedium quod solus Christus in ara crucis oblaturus erat. In tertio ergo ordine sunt, qui in purgatorio existunt, qui non sunt mali, sed potius boni simpliciter, non tamen ab omni reatu immunes.

Fr. Suarez, Tom. 3.

Primò igitur certum est, non posse hoc sacrificium pro valde malis offerri. Ita docet Aug. dicto c. 109. in Enchi. & lib. 1. de origine animæ cap. 9. & 10. & lib. de statu sacrificii pro mortuis agenda, cap. 1. & Greg. 34. Moral. c. 13. alias 16. & 4. Dial. ca. 44. negat enim pro damnatis orandum esse. Sic enim Greg. II. epist. vlt. ad Bonifacium & habetur in c. Pro obeuntibus. 13. q. 2. dicit, non esse offerendum sacrificium pro impijs defunctis; id est, quando eos in mortali peccato mortuos esse conliferit. Similiter in Conc. Brach. I. cap. 34. prohibetur offerri pro his, qui violentam mortem sibi inferunt. 18. q. 5. c. P. lacuit. Et in hoc consentiunt omnes Scholastici in 4. d. 45. & vniuersa Ecclesia sentit, non esse pro damnatis orandum: quia eorum desperata est correctio, & hæc est ratio huius conclusionis. Quæ vterius explicatur, primo, quia illi iam non sunt membra Christi, neque actu nec potentia: ergo neque illis prodesse potest passio Christi, ergo neque pro eis potest offerri sacrificium Christi. Secundo, quia illis non potest prodesse hoc sacrificium ex iustitia, ut per se constat; neque etiam ex misericordia: nam, ut recte dicit Bernardus, serm. 3. in Pf. Qui habitat. illi iam non sunt in statu misericordie, sed rigoroſe vindictæ. Tertio, damnatis nulla fit remissio culpæ, nec pœnæ, alias multiplicatis sacrificijs, posset tolli aequalis pœna, quod est contra æternitatem & perpetuitatē illius status. Sequela patet, nam, quæ ratione per vnum sacrificium tolleretur aliqua pars pœnæ, per aliud simile, & cæteris omnibus paribus, posset tolli aequalis pars; ergo tandem posset tota absumi, quia illa pœnæ ex ea parte, quæ diminueretur, sc. ex parte subiecti seu intentionis, finita est. Quod autem quidam dicunt de remissione per partes proportionales, fictitium & voluntarium est.

Contra hanc conclusionem opinatur Glossa in c. Contra Tempus 13. qu. 2. vbi partitionem supra positam ex clausurâ quæ sententiæ. Augustino, in quatuor membra diuidit, addit enim quosdam mediocriter malos, qui reuera mali sunt & damnati, non tamen propter ingentia, vel multa peccata, sed propter pauciora, vel leuiora mortalia, & pro his dicit posse offerri hoc sacrificium, eisque prodesse posse, non ad liberationem, sed ad quædam pœnæ relaxationem, & videtur posse fundari, in Aug. in Enchi. c. 110. dicente, quibusdam valere hoc sacrificium: ut eis plena fiat remissio, a his, ut tolerabilior fiat damnatio; & c. 112. permittit opinari damnatorum pœnas posse mitigari, dummodo non afferatur, posse finire: quin potius Innocentius III. in c. Cum Marthæ de celeb. Miss. illa vitur quadrimembri diuisione, quæquam de reliqua parte huius sententiæ nihil asserat. Eam vero aliquos fuisse secutos refert Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. Sanct. annot. 47. & nonnulli Catholici, ut disput. sequenti videbimus, existimant, hoc sacrificium posse prodesse homini existenti in peccato mortali ad remissionem pœnæ temporalis, cuius reatus mansit ex prioribus peccatis remissis. Scotus autem alicubi opinatur, huiusmodi pœnam, debitam propter peccata remissa, vel etiam propter venialia, posse in inferno finire, atque ex hac parte posse diminui inferni pœnam. Ergo iuxta has saltem opinioniones posset hoc sacrificium prodesse damnatis ad remissionem huiusmodi temporalis pœnæ.

Respondetur, sententiam illius Glossæ omnino esse falsam, & à Theologis omnibus reiectam in 4. d. 45. ut videbimus latius in sequenti tomo, tractando de suffragijs. Et fundamentum precipuum est supra tactum, quia ineptum, & contra rationem est, sacrificium pro his offerre, quibus prodesse non potest: sed hoc sacrificium non potest prodesse damnatis: quia in inferno nulla est redemptio: neque bonum vllum, aut vlla misericordia eis potest impetrari. Neque Augustinus quicquam fauet oppositæ sententiæ, nam potius illo c. 110. sæpe docet, hoc sacrificium nihil posse prodesse damnatis. Quod si contingat (inquit) offerri pro his, qui damnati sunt; quia damnati esse ignorantur,

Kkkk 2 Vale-

Disputatur eius vltimum explicatione.

Pro quibuslibet maior excommunicatione ligatis offerre non licet Sacerdoti, quæ Ecclesiæ sacramentum est. D. Thom. Soto. Censur. dicitur ut priuata personam gerit.

Disputatur illius.

Pro damnatis Eucharistia sacrificium offerri nequit. Augustinus. Greg. Ma. Greg. II. Conc. Bra. I.

D. Bernard.

Augustinus.

Innocent. III.

Sixtus Sen.

Scotus.

Respondetur auctoritati huiusmodi.

valebit ad consolationem viutorum, non ad adiumentum mortuorum. Quando ergo inquit, quibusdam valere hoc sacrificium, vt tolerabilior sit damnatio: non loquitur de his, qui sunt in inferno, nec (dānatio) ibi sumitur pro damnatione æterna, sed vt idem sit, quod punitio, seu supplicium: & ita verificatur dictū Augustini in animabus purgatorij, quæ interdum p hoc sacrificium à purgatorio omnino liberantur, interdum vero minime, sed solum aliq̄ pœnæ diminutionem consequuntur. In ea autem 112. non affirmat Aug. esse probabilem sententiam asserentem, pœnas damnatorum alleuari posse, sed non esse aperte hereticam, sicut est illa, quæ affirmat, posse finire: de qua re legi potest idem Aug. 12. de Ciuit. ca. 24. Ad Innoc. III. responderetur in primis, ipsum proponere quidem distinctionem illam quadrimestrem, nihil tamen de ea affirmare, sed aliorum discretioni committere, vt, quid de illa sentiendum sit, inueltigent. Deinde, et illa distinctione supposita neq̄ affirmat, neq̄ ex eius dictis colligi potest, per mediocriter malos, intelligēdos esse aliquos damnatos: quomodo enim illi, qui in eo statu sunt, in quo Deum odio habent, nihilque boni, aut operari, aut sperare possunt, mediocriter mali existimari valent? Melius ergo accommodabitur illa diuisio ad purgatorij animas, in quas, & propitiatio & expiatio cadere potest, & mediocriter boni dicentur, qui leuem aliquem reatum pœnæ habēt, & in hac vita sancte vixerunt: quibus sacrificium hoc ad expiationem valere dicitur; quia per illud facile possunt à purgatorio liberari: è contrario vero mediocriter mali sunt, qui in hac vita inique vixerunt: tandem vero à mortali culpa liberi, cum magno reatu pœnæ, & aliquibus venialibus culpis, decesserunt: quibus hoc sacrificium raro ad omnimodam expiationem, frequentius vero ad propitiationem, id est, pœnarum mitigationem valere solet. Ad Scorum, & alios responderetur, eas sententias in primis falsas esse: deinde non bene applicare: nā, licet demus, posse hoc sacrificium prodesse viatori in peccato mortali existenti ad remissionem alicuius temporalis pœnæ, nō inde fit, posse prodesse damnato ad eūdem effectum: quia hic magis est in capax salutis, totiusq̄ misericordiae, & similiter, quamuis daremus, aliquam temporalem pœnam damnati posse finire per rigorosam solutionem, & vindictam, non inde sequitur, posse etiā per sacrificium remitti, nam tempus viæ definitum est, vt in eo possit fieri talis commutatio pœnæ, seu applicatio pœnarum Christi in remissionem pœnæ ignis: quia Christus solum viatorum redemptor est, non damnatorum: & ideo talis commutatio, vel in via debet fieri, si sub via purgatorij etiam comprehendamus, vel, si rigorose de via loquamur, in ea saltem homo debet ita vniri Christo, vt capax sit talis commutationis, seu applicationis passionis eius.

Secundo loco dicendum est de beatis, de quibus aliquid certum est, aliquid vero dubium. Primo certum est hoc sacrificium, vt est propitiatorium, non posse pro beatis offerri: liberi enim sunt ab omni malo, tam culpæ, quam pœnæ, cum plenissimam veniā & remissionem sint consecuti; imo incapaces facti sint omnis mali, & ideo nulla propitiatio in eis locū habeat. Secundo est certum, posse aliquo modo hoc sacrificium, quatenus laudis est, & gratiarum actionis, offerri Deo pro Sanctis: id est, pro beneficiis in ipsos collatis, qui modus offerendi, vt supra dicebam, non tam proprie dicitur esse pro aliquo, quia reuera non applicatur ei fructus sacrificij. Quicquid tamen de modo loquendū sit, de re ipsa constat, esse sanctam, Deoque & ipsis Sanctis gratam, optant enim Deo gratias agi, non tantum ab ipsis, sed etiam ab aliis pro ipsis, atque in hunc modum explicantur ab aliquibus nonnullæ Patrum locutiones: qualis est illa Cyrilli Hier. catech. 5. mystag. Offerimus hoc sacrificium pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis. Sed fortasse hæc verba possunt exponi, non de Sanctis beatis,

*Sacrificium
Eucharisti-
cum ut propi-
tatorium,
beatis non
prodest.*

*Ve laudis &
gratiarum
actionis, eo-
rum intuenti
offerri potest*

Cyrril. Hier.

nam de aliis paulo ante dixerat: Cum hoc sacrificium offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt de orationibus illorum, & deprecationibus, suscipiat preces nostras. & ita subdit alia verba supra citata. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis: deniq̄ pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamentum, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremēdi, quod in altari positum est sacrificij, non ergo satis consistat, an loquatur de Sanctis iam beatis. Et quamuis de illis possint verba intelligi, nam in prioribus verbis solum Apostolos & Martyres nominauerat, postea vero mentionem facit sanctorum Confessorum, tamen non est necesse, intelligi de gratiarum actione, sed de Sanctorum commemoratione, vt iam dicam. Cyprian. enim epist. 34. de quibusdam Martyribus ait: Sacrificia pro eis semper, vt meminisset, offerimus, quoties Martyrum passiones celebramus: in ep. autem 37. quasi explicans, quomodo pro Martyribus sacrificium offeratur, dicit: Dies eorum, quibus excedunt, annotat, vt commemoraciones eorum inter memorias Martyrum celebrare possim? in quorum locorum collatione colligit Pamel. ibi non dici sacrificium offerri pro Sanctis propter gratiarum actionem, sed in eorum commemorationem, id est, vt per eos, eorumq̄ recordationem, Deum deprecemur; quod significat etiam Cyr. illis verbis citatis. Vt illorum deprecationibus suscipiat preces nostras: & similiter Aug. 21. de Ciuit. c. 10. Martyrib. inquit, non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus: & inf. Sacrificium non Martyribus sed Deo immolamus, ad quod sacrificium, sicut homines Dijs, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, inuocatur (sc. vt auctor salutis, & bonorum omnium, que per sacrificium colimus) Deo quippe, & non Sanctis, sacrificat, quamuis in memoria sacrificet eorum, & tra. 84. in 10ā. Ad ipsam mensam (sc. Eucharistiam) non sic eos commemoramus, vt et pro eis oremus, sed magis, vt orent ipsi pro nobis: Et eodem modo Chrys. hom. 21. in Acta. Pro Martyribus offerre (inquit) nihil aliud est, quam in illa hora sacrificij vocari: nam etiam pro Martyribus magnus honor est nominari Dño presente, dum mors illa periculis, & horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta. Atq̄ in hunc etiam modum exercet huiusmodi pro martyribus & aliis Sanctis oblationem, idem Chrys. in liturgia. Et eodem modo hoc explicat Epiph. hæres. 75. ex Patribus ergo non satis colligitur ille modus offerendi sacrificium pro Sanctis in gratiarum actionem.

Ex his tamen testimoniis licet colligere alium modum offerendi sacrificium pro Sanctis, sc. vt aliquis honor inde eis proueniat, iuxta id, quod Ecclesia dicit in Missa: vt illis (id est, Sanctis) proficiat ad honorē nobis autem ad salutem. Hinc autē sumunt hæretici occasione carpendi Ecclesiam, q̄ genus quoddam idololatriæ committat, sacrificium Sanctis offerēdo. Sed impudenter errant, nouit enim Ecclesia, soli Deo esse sacrificium offerendum, vt Conc. Trid. tradidit, sess. 22. c. 3. & prius Aug. lib. 8. de Trin. c. 27. & lib. 22. c. 10. Oportet tamen distinguere substantiam sacrificij, vt ab aliis orationibus, quæ cum illo coniunguntur, sacrificium ergo Deo tantum offertur in cultum; potest tamen offerri ipsi in honorem Sanctorum, id est, vt Deos Sanctos faciat honorari, vt par est, in quo nihil contra rationem fit: sed postulari à Deo quoddam honestum bonum, quod ex diuino auxilio maxime pendet. At vero orationes, quæ adiunguntur sacrificio, & aliæ ceremoniæ, bene possunt directæ offerri vel fieri in honorem Sanctorum: quia illa non sunt sacrificia, nec continent cultum latræ: sed sunt orationes quædam, quæ vel Sanctis directæ funduntur,

Cyprian.

Augustinus

Sacris imp...

Quædam...

tur, vt pro nobis orent, vel Deo, vt Sanctos pro nobis orantes exaudiat: tamen, vt inde Sanctorum honor augeatur, talis oratio & commemoratio Sanctorum cum sacrificio coniungitur, vt Chryl. loco supra citato notauit, quod etiam confert, vt huiusmodi orationes maiorem habeant impetrandi efficaciam.

Solum superest dubitandum, an possit hoc sacrificium pro Sanctis offerri, etiam vt impetratorium est. Et ratio difficultatis est, quia, licet Sancti non possint in gratia, & essentiali beatitudine augeri, possunt tamen denuo recipere aliquam beatitudinem accidentalem, vt nouam reuelationem vel gaudium, aut extrinsecam claritatem, gloriam seu honorem: ergo possumus a Deo petere, vt hac bona Sancto alicui conferat vel augeat: ergo possumus pro eis hoc sacrificium, vt impetratorium est, offerre, vt inuisum hac bona eis a Deo impetremus. Quod videtur confirmare vsus Ecclesiae, sic n. in oblatione, qua in Missa facimus, oramus: vt Sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & in Collecta post communionem interdicimus, vt, sicut Sanctis ad gloriam: ita nobis proficit ad veniam: & in quadam oratione secretae Missae B. Leonis P. petimus: vt illum beata retributio comitetur. Ac deniq; Chryl. ho. 33. in Matth. dicit, posse nos aliquid facere pro Sanctis, ad mercedis & retributionis adiectionem. In cotrarium autem est, quia non videtur ad reuerentiam Sanctorum pertinere, pro eis orare, sed potius eos orare, vt pro nobis oret, vel Deum, vt orationibus illorum nostras deprecationes suscipiat, vt Cyril. Hier. dixit, dicta catech. 5. Vnde Inn. III. in dicto c. Cum Mart. §. vt. ait, Sanctos non indigere orationibus nostris: quia, cum sint perfecte beati omnia illis ad vota succedit: & ideo mutatum esse modum orandi in quadam oratione B. Leonis: prius n. dicebatur: Annue nobis Dne, vt animae famuli tui Leonis hęc profit oblatio: postea vero dictum esse, Vt intercessione B. Leonis nobis hac profit oblatio. Hoc autem confirmat, Quia cum sacre Scripturae dicat authoritas, quod iniuriam facit Martyri, qui orat. p. Martyre, idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentendum: quod tñ dictum nō reperitur in S. Script. sed sumitur ex Aug. ser. 17. de verb. Apost. & tract. 84. in Ioanem, ubi inter alia ait. Nō sic Sanctos comemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis, vt orent ipsi pro nobis.

Gryl. stem.

Cyrl. Hier. Innocen. III.

Sacrificiū hoc si impetrari potest beatis hōi non aliquid ex viatorum actibus respiciens.

Qualiter & accidentalis gloria.

honor aliquis, aut accidentalis gloria in Sanctos redundat: & hac est resolutio Innocentij in d. ca. Cum Martha. Iuxta quam intelligendum etiam est, quod D. Th. ait in 4. d. 12. q. 2. ar. 1. quæst. unc. 2. ad 2. hoc sacrificium offerri posse pro pueris baptizatis, qui ante vsu rationis decedunt: cum n. certum sit, illos iam esse beatos, non potest magis pro illis, quam pro aliis Sanctis offerri. Vnde, quamuis D. Th. dicat, illam oblationem fieri ad consolationem viuorum, & ad significandum, eos, infantes esse de congregatione iustorum, ac vera membra Ecclesiae: nihilominus necesse est, talem oblationem, quoad intentionem impetrandi, vel applicandi fructu sacrificij, debito modo fieri: & ideo, licet offeratur Deo, aut in gratiarum actione pro tanto beneficio huiusmodi infantibus collato, aut simul, vt inde aliquis honor, vel gaudium in huiusmodi innocentes redundet, tamē, quoad alios fructus non potest pro eis offerri, sed vel aliis applicandum est sacrificium, vel thesauro Ecclesiae adiungatur fructus eius.

Pro anima. Purgatorij vtiliter offeratur hoc sacrificium.

Tertio loco dicendum est de animab. purgatorij, pro quib. certum est de fide, sacrificium posse offerri, etiam vt impetratorium est: quia illæ animæ adhuc sunt in pœnis, quæ per oblationem huius sacrificij remitti possunt. Ita definit Conc. Trid. sess. 22. c. 2. & c. 3. & confirmat satis vsus & traditio Ecclesiae, & tradunt Doctores omnes in 3. dist. 45. Qualis vero eis sit hæc propitiatio, & an sit omnino infallibilis, & proprie ex opere operato, attingemus disp. sequenti: nam ex professo disputatio hæc, quæ vnam de suffragijs, & aliam de purgatorio supponit, pertinet ad materiam de satisfactione & de clauibus, de quibus in sequente tomo dicendum est.

DISPUTATIO LXXIX.

De effectu & valore huius sacrificij.

Disp. 7 de sacrificio.



Xplicata essentia, & causis Eucharistici sacrificij, superest, vt dicamus de effectu eius, & quia effectus ex virtute seu valore procedit, simul de valore dicemus. In qua re multa consideranda occurrunt, scilicet, an hoc sacrificium aliquid operetur, quid illud sit, quomodo fiat, in qua perfectione & quantitate, in quib. subiectis, seu personis, & a quibus seu per quam oblationem, quæ fere omnia permittit tractabimus: quia ita sunt coniuncta, vt vix possint disputatione separari.

SECTIO I.

Vtrum sacrificium Missæ habeat aliquem effectum ex opere operato.

Opinio.

Prima sententia esse potest, simpliciter ac proprie loquendo hoc sacrificium nullum habere effectum ex opere operato. Ita refert Petrus Soto, & tribuit hanc sententia Caiet. & Scoto, & idem indicant Dominicus Soto, & Corduba. Sed reuera falso imponitur hæc sententia Scoto & Caiet. quæ omnia postea videbimus. Potest autem hæc opinio fundari, quia omnis effectus ex opere operato pendet ex Christi promissione: non enim cōuenit operi vel signo externo ex natura sua: nulla autem promissio alicuius effectus gratiæ, legitur facta huic sacrificio, quatenus sacrificium est, diuersa ab ea, quæ facta est huic mysterio, quatenus sacramentū est, mādicationi enim & potui carnis & sanguinis Christi legitur vitæ promissionem factam: oblationi autē seu sacrificiationi nihil legitur promissum. Et confirmatur, nā fortasse propter hanc causam Conc. Trid. cū singulis sacramentis tribuerit proprios effectus ex opere operato, agens de hoc sacrificio, nullum ei effectum ex opere operato tribuit: ergo neque a nobis sine maiori fundam.

Kkkk 3 men-

Franc. Suarez Tom. 3.